

,, hæc excerpta, moreque munita solito data sunt men-
 ,, se Majo, Indictione x. *Subscriptio*. Petrus humilis
 ,, Diaconus & Chartularius Sanctissimæ Dei majoris Ec-
 ,, clesiæ. Nicetas Diaconus & Chartularius Sanctissimæ
 ,, Dei majoris Ecclesiæ, præsentis exemplo cum insinua-
 ,, to mihi originali, collato & invento per omnia æ-
 ,, quivalenti, subscripti, & sigillum appendi.

Quis autem Imperatorum primus fuerit, qui post
 Justinianum, & post editos Basilicorum Libros, de præ-
 titatione *Canonicorum* Sanctionem edidit, indicare vide-
 tur *Alexius Comnenus Imperator*, qui ab anno 1081. ad
 annum 1118. Byzantino Imperio potitus est. Hic enim
 in *Aurea Bulla de Canonico, & Consuetudinibus,*
quæ ordinationis nomine dantur, deque benedictione nu-
ptiarum, & de Aërico, atque universis ad animam spe-
ctantibus, edita mense Septembri, Indictione IX. [Tom. I.
 Jur. Græc. Rom. p. 127.] ad *Constantinum Monomachum,*
 qui ab anno 1042. ad 1054. imperavit, eam sanctio-
 nem videtur referre: id quod etiam colligitur ex su-
 pracitato Scholio in Constantinum Armenopulum, ubi
Michael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, Isaacii
 Comneni Constitutionem in sua Synodica ratam ha-
 buisse dicitur: ejus nempe Imperatoris, qui quum post
Monomachum imperasset, nova Bulla Aurea corroboravit
 ea, quæ a *Monomacho* paulo ante statuta fuerant.
 Alexii Comneni Bullam Auream accipe. ,, Religiosus
 ,, sui nomine ab hominibus sui loci accipiet ea, quæ
 ,, nominatim in Aureæ Bullæ sanctione fel. rec. Patru
 ,, Majestatis meæ [*nimirum Isaacii Comneni, de quo su-*
 ,, pra] comprehensa sunt; idque semel in anno: vide-
 ,, licet, a Vico habente triginta fumaria, nummum
 ,, aureum unum, præstantioris monetæ Majestatis meæ,
 ,, argenteos duos, arietem unum, hordei modios sex,
 ,, vini mensuras sex, farinæ mensuras sex, & triginta
 ,, gallinas. Ab eo vero, qui fumaria viginti habet,
 ,, bessëm aurei, proque duobus argenteis, argenteos de-
 ,, cem; agnum dimidiatum, hordei modios quatuor,
 ,, vini